

## §. XXIII.

Ad primum momentum quod spectat, quis scilicet intelligendus hic sit per *ὄν τὸ θεῶν*, illud nulla prorsus difficultate laborat. Notum equidem est, quod et fideles filii dei passim in sacris litteris salutentur; at uero cum Apostolus hic loquatur de vno quodam filio dei, et nullam addat determinationem vteriore, facile patescit, quod eum intellectum velit dei filium, qui ab aliis, adoptione talibus satis est distinctus, qui solus ex essentia diuina ab aeterno est genitus. Obtinet ergo hoc loco articulus praepositivus formalem suam notionem, qua generalem quamdam ideam ad certum atque omnimode determinatum obiectum restringit, ac orationi pondus conciliat, denotatur *filius ille unicus ex essentia dei prognatus*, deus ille benedictus in saecula saeculorum; recte ergo transtuli hunc articulum per pronomen *ille*. Insignis hic in eo sita est *ἐνέργεια*, ubi Paullus seruatorem non Jesum, seu Christum, sed illum dei adpellat filium, exaggerat enim execrandum illud eiusmodi hominum, quos hic describit, peccatum, quippe qui ipsum illum filium dei, ipsumque adeo deum crucifigant, et ludibrio exponant.

## §. XXV.

Vocabulum *ἀναστροφή* interpretes, philologi, et Lexicographi ante LAMB. BOSIVM ad vnum fere omnes exponunt per *rursus crucifigere*. At uero etiam si alias particulae *ἀνά* in compositione haec competat vis atque notio e. g. in *ἀναβλέπω*, visum recipio, *rursus video*, *ἀναγεννάω* regenero, *ἀναδίδωμι*, reddo, etc. non tamen in hoc *ἀναστροφή* eundem obtinet significatum, id quod abunde patet ex inductione locorum scriptorum graecorum, qui vbiuis hoc vocabu-